

Mignoni Nicolaio Trubickio (1752)

NICOLAO TRZEBICKIO S. J.

Collegii Academicci Vilnensis Ministro Viro summo & ad omnem humanitatem naturā factō,
Noctium Sarmaticarum Amicus Auctor

S. P. D.

*E*x nuper ad me datis literis Tuis Vir Cl: duplicem voluptatem cepi, & quod amari me abs Te, quo nihil potest mihi esse jucundius, & quod eum Te esse, quem pridem senseram, id est hujusmodi, qui ab animo discrepantem minime habeas vultum, in quo mihi etiam plundo, certo certius sciam. Suavissimam enim epistolam condita rosa dulciorem ad me scribis elegantissime, blandloquentia illa Tua tam mirè conspersam, ut Charites ipsae loqui Musaeque videantur. Itaque ut video, amicitiae nostrae ratio iisdem sane studiis, quodam quasi fœdere conjuncta, nec temporum lapsu, nec regionum longinuitate minuetur unquam. Cumque ego ex Vestris plurimos, omnigena eruditione gravissimos in Italia Viros, consuetudine conjunctissimos habeam, illud etiam erit mihi praeclarum atque gloriandum, quod è vestra Polonia aliquem ex praecipuis hominibus natus sim, de cuius ego benevolentia gloriari possim. Gloriabor siquidem ad vitae tempora. Quare nunc Tu mihi multo amabilior, nec quidquam in posterum est, aut esse poterit Te ipso prestantius. Delector enim vehementer humanitate illa, qua omnibus carus omnium amores & corda quodam quasi Circaeо poculo pellicis. Quippe ut ne erres, non amare Te caepi, ut ipse me amares,

(1)

id



*id enim vitium philautiae foret, sed quod amore dignum
Te esse quam qui maxime duxi multis nominibus. Itaque
usuram sermonis Tui locorum intervallis ademptam cum
mihi restitutis, nimirum satagis, ut prorsus intelligam,
quò ego apud Te loco sim, Tuæ scilicet benevolentiae
praecipuo.*

*Venio nunc ad gravissimam querelam, quam Te-
cum libere Vir Clar: sicut natura mea postulat, bonosq;
inter viros aequum, est, communicabo; ad tuum enim ju-
dicium libenter provoco, et si mihi res cum Tuac gentis
homine & Socio sit tota Ex quo bonae artes omnes in
Scholis abstersa illa exoticae peregrinitatis rubigine re-
floruerunt, ceterisque optimis disciplinis, quaedam quasi
 cogitandi maturitas accessit, quo factum est, ut Varsaviæ
nunc (nescio an alibi etiam eadem fortuna literis &
literatis adspiret) Latii opes veluti in foro, atque Empo-
rio locupletissimo pateant, tantus est factus certorum ho-
minum vel invidentium vel ignororum motus, ut ex Ler-
nae gurgustio velut excita monstra ululare, fremere, de-
bacari, continuo caeperint. Statim bellum iudictum est
acerbissimum novis seu potius veterissimis Philosophorum
inventis, proscripta Sapientum Virorum nomina, quos
Europa tota tanquam oracula consecravit, traducta saepe
calumniis illorum placita, diris omnibus scripta pessum-
data & personatis nominibus ad irrisionem, larva etiam
religionis assumpta, per summum scelus exhibilata. Equide
fateor me haesisse totum, quod nunquam putassem tantum
in re, quae ubique gentium jam obtinet, & vix non omni-
um eruditorum consensione probatur, discidium fore Exul-
cerata*

*cerata capita nullibi non insaniunt. Interea dum pugna-
citer decertatur, risuque & sannis doctorum hominum con-
vicia hæc proscinduntur, eousque amentiam & supinam
harum pecudum procacitatem furere condolentium, prodit
in lucem Chria quædam Studiorum prodroma, & Sapi-
entissimo Antifiti, fama enim de ipso loquitur magna, in
Ecclesiae Vilnensis procurationem suffecto JOSEPHO
Comiti SAPIEHAE nuncupata, mihique ab Auctore ipso,
sive quis alius fuerit, quae est impudentia perfictæ frontis
impudentissima arroganter submissa cui titulus: Pro in-
geniis Polonorum.*

*Avidè in manum sumpsi ut perlegerem, pollicitus
mihi fore, ut magnorum Virorum, qui in Vesta Patria
bonis artibus floruerunt, et si plerosq; versaverim, nomi-
na praeclarissima recenserem: Id enim omnino erat ad
propositum confirmandum necesse. Sed quam ego me her-
cule sum deceptus? Succi & sanguinis nihil prorsus, stylus
humilis, exuccus, & macer, qualisq; incipientibus pro-
gymnasmata lexitare, & pensum in Ephebio diurnum ab-
solvere solet esse, id est nullius coloris & frugis. Erudi-
tio nulla, vestigium nullum solidæ ex aureo seculo erudi-
tionis, barbaries tamen abest, & putida illa laudandorum
Principum ex Familiarum Clypeis, & stegmatibus scabies;
quod ego ipsi gratulor maximopere.*

*Sed ut sibi viam ad Polonorum ingenia exornanda
muniat, quid homo gnarus & peracutus molitus est? Ex
Proaemio orationis meae de Poëseos & Poétarum studio ad
latinitatem comparandam necessario sibi arma parat, eaque
fingit de me, quac repugnant penitus judicio meo, atque*

etiam naturae, vel quod est, ut multi Italico nomini infensus, vel quod ipse apud suos inclarescere aliorum detractione, vel quod eorum benevolentiam & opinionem venari, fumantem ursi nasum tentando affectaverit, perinde ac in eo sibi vindicem Polonia sit habitura laudis, & dignitatis, & eruditonis suae.

En Tibi textum orationis meae integrum, de quo ipse possis Vir cl: judicare. Inter humani generis pestes quae multae sunt Exetestice & graves & permolestae nescio" an alia sit nequior magisque bonis artibus perniciosa" certorum hominum arrogantia, qui retroverso judicio," cum in crasso aere & vervecum Patria sint nati, rerum" tamen omnium praecipue dirigendarum disciplinarum magisterium sibi temere & insolenter sumunt.

Rogo Te quaeisque mi Trzebicki, qui possint haec quae generatim loquor, de Polonis intelligi, cum maxime inferioris ad ea tempora referantur, quibus eorum bonarum artium magisterio fungabar: Haec olim cum politioris literaturae me ducem florentissimae Juventuti praeberi contigit," mirum est, quam vehementer cruciaverint. Nunquid" ego in Polonia literas docui, ut haec de Polonis conjectura aliqua dicta esse adsequantur, quorum praeconiis amplissimis meum opus & scatet, & affluit, & redundat? Nunquid non ubivis gentium istius modi semidocti, ventosi, bardique ueteratores sunt, qui fucum facere vulgo satagunt, seque venditant quasi Magistros omnium disciplinarum, cum absint a disciplinis & literis quam longissime? Iraque pro Tua aequitate Tute ipse judica, devorandum ne mihi hoc fuerit, ut de Polonis tam honorifice cogitanti & scribenti

calumnia impingatur faedissima, meumque Nomen Barclao
& Braunio, aliisque Polono-carpis pluribus qui tam per-
peram de Polonia meruerunt, accenseatur; Errare possum,
corrigi volo. Doleo tamen vehementer, secus atque ipse
cogitans sentio mea detorqueri, invidenter an temere non
ausim dicere, si tamen ausim, temere potius, quam invi-
denter. Enim verò quis ego sum, cui debeat misero mor-
talium aliquis invidere? quod ut ne dictum à me calumni-
osè putas, rem totam ab ovo repetam. Phrasis illa & di-
cendi modus ex Juvenali Aquinate desumptus est. Is au-
tem ex Alcibiade Platonis, cum argumentum Satyrae ar-
ripiisset, quo humana omnia despiciatui ducenda esse doce-
ret, eosque carperet male sanos, qui fortunae suae vice
superbiunt, Democritum in theatrum vocat, amentiam ho-
minum deridentem, eaque singula quotquot sunt mortalibus
in opinione pretioque aestimantur magno. Concludit rem
pulchre mirabili epiphonemate, quod nimirum Democrito
minime obfuerit in vervecum Patria, crassoque sub aère
adolevisse, quo minus & sapiens & in Philosophicis studiis
summus evaderet. Ubique enim si ingenia excolantur
praestant. En Tibi versiculos Aquinatis elegantissimos.

Tunc quoque, materiam risus invenit ad omnes
Saty. Occursus hominum, cuius Prudentia monstrat,
10. Summos posse Viros, & magna exempla datus,
Vervecum in Patria, crassoque sub aère nasci.

Tuum Rhetorem sciscitor Vir Cl. Polonus ne fuerit De-
mocritus qui in Patria vervecum, crassoque sub aère natus
tantum processit ingenio & gloria Sapientiae? Etsi Abde-
rites, cur haec Polonis appungi homo ille obtrectator cla-
mitat, perinde acsi Poloniā Satyricus non verò Abde-

ram vervecum Patriam latina significatione perstringeret.
Quam procul homo iste peregrinatur à libris, quorum me
hercule consuetudinem habet nullam. Factum est inde,
ut communi adagio feratur, hebetes, & bardos, & plum-
beos vervecum similes non Abderites modo, sed & Beothios
& Cappadoces Abderitibus quam simillimos, vocitari. De
Polonis apud Auctores silentium est; Tuo duntaxat Rhe-
tori placuit pro sua gratia & sagacitate Polonam Gentem
in hunc censum referre. At enim nihil timendum Polonis
est a proletario minimaeque Classis Auctore. Haec sunt
in medio iisque etiam qui pergraecantur perspecta. Mihi
vero perspectissimum, egregiam Polonorum Juventutem
plerasque omnes nationes ita aemulari ingenii praestan-
tia, ut nihil supra. Mihi sum testis ego Ipse locupletissimus,
qui jam pridem in hoc amplissimo Nobilium Collegio
societate fruor Adolescentium frequentissima, quorum indo-
lem, elegantiam, alacritatem demirari satis nunquam de-
sinam, ita vigent sensibus, ita pollent naturae bonis, ita
vivide, & captu celeri omnia imbibunt perspicacissime.
Quid ergo de aère meus iste reprehensor philosophetur, ne-
scio. In quo etiam errat suo more quam turpiter; nihil
enim boni malivè ex aère, per quem spiritus reciprocatur,
ingeniis hominum adhaerescere pronuntiat ex tripode vir
etiam in Physicis magnus. Quin potius dixit, ut debuit
Polonum acrem leviorem esse & ventis perflantibus Bore-
alibus liberiorem? Sed haec alii viderint. Muretum
praeterea testem allegat, qui de Polonorum ingenii me-
minit tam honorifice. Ego vero Manutium addo Paulum
scilicet non Gallum, sed Italum, ut quomodo Australes de

Aquilonaribus sentiant, meus iste Rhetor intelligat. Is
enim Petro Miscovio Procensi Episcopo scribit: *Fore prorsus, ut excellentibus ingeniis quibus abundat in primis Patria Vestra auctoritas, gratia, opesque patere debeant.* *Patebunt autem si Scholae pateant eruditiores, & ingenia haec praestantissima non ad rixam, & jurgia non ad Eorum contemptum qui in literis consenserunt, sed ad meliora acmulanda verumque librorum captum ad sequendum Autoresq; cuiusquamodi Ordinis Partiumq; fuerint versandos, sine delirio & invidia excitentur.* At adhuc verminat & de Sarbievio iterum pugnat. *Subirascitur enim mihi, quod ego cum Italus Dei maximo beneficio sim natus, Italiae plus aequo deseram, eamque mercatum bonarum artium esse, atque ideo Sarbievum ibi in lyricis profecisse contendam.* *Quam in honeste mecum iste nasutulus!* debuisset tamen mecum agere liberalius modo solide cogitasset; neque enim Homero injuriosum (absit hic loci cum tanto Viro Poetarum Principe comparatio) quin etiam glorioissimum fuit, quod tot in Graecia Nationes suum afferant conflictu magno. Polonus est, inficiatur nemo, Sarbievius, Italus esse potuit in Italia versatus & politioribus studiis excultus. Praeclarum enim indolem ait Manutius in Epistola ad Caselium materiamq; virtutis haud mediocriter coelum Italicum adjuvat. *Cuiusce rei causam, non à me vel ab alio meae gentis quopiam sed à Socio audias Tuo:* Poloni pueri ait Auctor Praefationis ad Grammaticam Alvari Calissii impressam Anno 1749. §. 3. Si Magistrum diligentem, ac bene pronuntiandi studiosum naucti fuerint, non male sane pronuntiant, sin vero in eum inciderint qui officio desit suo, ac de

Auditorum progressu parum sit sollicitus multa barbare efferunt, & universam prope ortographiam pessundant. §. 6. Cum verò pronuntiatio Latini accentus nostrae genti difficilis nonnihil, ac proinde magnam partem vitiosa est. *Rogo, exoticus né est qui loquitur an Polonus? Australis an Noricus?* Haec ergo vicia Sermonis, quibus bona latinitas infuscatur, Italia corrigit, & consuetudine hominum eruditorum, quorum ibi frequentia magna, depascit. Sarbievius ipse si in vivis ageret, non mihi foret iratus quod ita senserim. Tuus iste Rhetor irascitur juxta ac si temere impudenter praeposterè tam inania jactaverim. Concoquet tamen iram suam, si Diis placet, ubi factus Rheticoteros, usu rerum librorumque peritia valens videre caeperit. Miserrum nescio quo partium impetu aestus quidam absorbut famae aucupandae, eaque propter cum temere judicaverit aspersus est macula inscitiae magna. Parco ipsi tamen, quia vix tertium in hoc curriculo eruditionis versatur annum. Proiecta aetate cum judicio & ratione canescet Oratio. Tum verò haud praecoces sed serotinos fructus pariet, id est excoctos & maturiores.

Ceterum abs Te tali Viro, tantopere meas vigilias laudari vehementer gaudeo, nam et si quo Tu me pervenisse jam putas nequaquam pervenerim, efficiam tamen enitarque multò etiam quam antea diligentius, ut aliquando quod ipse nunc donas humanitati, tribuas veritati. Vale.

Dabam Varsaviae nonis Novembr:
Anno 1752.

XVIII. 2. 374.
<http://rcin.org.pl>

3146

XVIII-2. 344